

coaequabatur. Isdem vir multorum narratione didicerat, eo quod a predicto scamno miracula multa panderent¹. Cumque maturius ad hoc opus aspiciendum perrexisset, cum iam sol ad² ortu suo splendidus terris³ lustraret, ipse in oratione prostratus et omnes lampades extinctas cognovisset, cum lacrimis arva ille rigans, aspiciens sursum, vidit lampades ex Domini precepto accensas lucere. Quo⁴ miraculum tam pontifici loci ipsius quam reliquorum omnium Dei servorum innotuit.

Postea vero Avitus pontifex, quantum sponte a⁵ sanctorum limina conquisierat, abbati Godoni consignavit. Qui predictus abba⁶ coepit prefato Veneriano instigare, ut illa descriptione de ipsa familia ei deberet donare. Ipse vero, pro⁷ eo quod anulo⁸ vice episcopi⁹ gerebat, cepit dubitare, quando predicta conditione deberet exemplare. Quod deinceps Christo presule ita prospere gestum est. Coepit suprascriptus¹⁰ Godo abba infra semet ipsum anxietatem habere, qualiter hanc utilitatem deberet expetere. Tamen defixit in corde suo, ut illo et illo die, ceteras condiciones omissas, pro hac re a¹¹ suprascripto Veneriano, ubi et ubi eum possit¹² repperire, deberet ambulare. Eadem nocte apparuit ipsi Veneriano Dominus per visum, ostendens illi, quomodo erat a suprascripto abbati dispositio. Ipse vero maturius consurgens, notarios secum ducens et¹³ suprascripta descriptione sub omni exemplavit festinatione¹⁴. Insuper iubet convivium¹⁵ preparare et omnibus in noticiam deponere, eo quod Godone abbate eadem die secum cybum habere sumpturum. Cumque omnibus ista panderent¹⁶, suprascriptus abba ad fores ipsius apparet. Ipse vero surgens et cum gratiarum actione ipsum suscipiens et omnia, quae ei per visum iussum¹⁷ fuerat, ostendit et reddidit, et verbis tam ipsi quam omnibus palam exponens, qualiter tam de suo adventu quam de predicta conditione per divinum auxilium¹⁸ habuisset.

Itaque quodam die unus ex ipsis auctores¹⁹ necis Ursio nomine, dum²⁰ in saltum venationem velocius exerceret, equo sedens, labens²¹ in terram prosternitur, ad extremum, brachium fractum aliaque membra debilitatus²² ad domum propriam debilis deportatur. Ubi cum ad eum medendum²³ plures

1) 'panderentur' 2 a. b. 2) 'ab' 2 a.; om. 2 b. 3) 'terras' 2 a. b.
 4) 'Quod' 2 a. b. 5) 'ad' 2 a. b. 6) 'abbas' 2 a. b, ut infra.
 7) 'pro eo' om. 2 a. b. 8) ita scripsi; 'a nonnullos vices' 1; 'ad nonnullas vices' 2 b; 'anmodo nonnullas vices' 2 a. 9) 'episcopo' 2 b; 'pontificis' 2 a. 10) 'suprascripto' (?) 1, corr. 11) 'ad suprascriptum Venerianum' 2 a. b. 12) 'posset' 2 a. b. 13) om. 2 a. b. 14) 'festinatione' 1. 15) 'convium' pr. m. 2 a; 'convivium' 2 b. 16) 'panderet' 2 a. b. 17) pr. m. superscr. 1; 'iussa fuerant' 2 a. b. 18) 'noticiam' add. 2 b. 19) 'auctoribus' 2 a. b. 20) pr. m. superscr. 1; 'cum' 2 a. b. 21) 'libens' 1. 22) ita 1. 2 a. 23) om. 2 a. b.